



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale,|| In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

Capvt Primvm. De Institutione & Neceßitate Confeßionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

# CAPVT PRIMVM.

## De Institutione & Necessitate Confessionis.

*Estne Confessio Sacramentalis ab Ecclesia instituta?*

*Quæstio*

*I.*

**H**EC TSI HÆC RES *Respoſio.*  
multoties definita est, ac de ea conformis extat Orthodoxorum Patrum sententia, & totius Ecclesiæ consensus; attamen non defunt, qui Exhomologisin nō à Christo, sed à Cōcilio Lateranensi in Ecclesiam esse introductam; atque hinc Cap. Omnis vtriusq; sexus &c. de confitendo proprio Sacerdoti, promanasse cōtendūt. Verūm hī toto errant cœlo. Cōcilium enim non habuit studio, rem nouam, & omnibus retrò seculis inauditam, in Ecclesiam inuehere. Sed Cōfessionem, initio quidē à Christo Domino institutam, que refrigercente Christianorū charitate, & religione propè neglecta iacebat, ad crebriorē vslum reuocare, tempusq; præscribere, quo omnes vtriusq; sexus teneretur suo Iudici, siue proprio Sacerdoti,

*A*

*sua.*

## *Caput I. De Institutione*

sua crimina cōfiteri. Tempus itaq; determinatum confitendi, Ecclesia debet Concilio: at Confessionem ipsam, sicuti reliqua Sacra-  
menta, acceptam fert Christo.

Et quid nī? Si enim non est humane facul-  
tatis alicuius Sacramenti materiā, aut formā  
mutare: num penes Ecclesiam erit, signum  
aliquod sensibus expositum instituere, quod  
hominibus rite dispositis sua vi gratiā confe-  
rat? Quodq; ex inimicis D E I, & peccatori-  
bus faciat amicos, & sanctos? Haud existimo.  
**Confessionis** autē Sacramentalis eā esse vim,  
utilitatemq; vt & peccata remittat, & æter-  
nā enormib; criminibus poenā trāsnimutet  
in temporariam, suo loco manifestū euadet.

Ceterū, **Confessionem** Sacramentalem  
Lateranensi Concilio, in quo dictum Cap.  
(Omnis vtriusq; sexus &c.) cōditum est, an-  
tiquiorem esse; testes sunt omni exceptione  
maiores, Origenes, Hieronymus, Augusti-  
nus, Chrysostomus aliiq; Patres penè innu-  
meri, qui vita, ante Concilium istud, functi,  
clarissimam eius in suorum librorum monu-  
mentis mentionem fecerunt.

Vt ergo hęc quæstio penitiū percipiatur,  
nosse oportet, longè aliud esse, cūm queritur:  
Num Cōfessio, qualis nūnc in usu est, hoc est,  
cum omnibus illis ritibus, quibus impræsen-  
tiarum peragitur, iuris diuini, sit, an huma-  
ni; quām cūm queritur, sitne Cōfessio pec-  
atorum, etiam occultorū, quæ soli Sacerdoti  
fit;

## Confessionis.

2

fit, instructionis, consolationis, & Absolutio-  
nis consequendæ gratia, à Christo instituta.  
Nam, quod ad primū attinet, planè fatemur;  
Confessionem, qualis nunc agitur in Eccle-  
sia (hoc est, omnem illum confitendi mo-  
dū, & ritum, qui in Ecclesia Romana obser-  
uatūr) non esse omni ex parte à Christo in-  
stitutā. Nam quis nescit, cōplures ritus circa Totus cōfi-  
Confessionem, iuris esse positiui? Que mad- tendi ritus,  
modū inter alia sunt; confitendi tempus, nō est iuris  
casuum reseruatio, & pleraque alia, quæ non Diuini, sed  
sunt de substantia Confessionis; sed magis ad partim iu-  
decorē, & accuratiorem peractionē Con- ris positiui  
fessionis, quemadmodū in omni Sacraimen-  
to multos ritus ab Ecclesia institutos videre  
est, qui non sunt ex ipsis Christi institutio-  
ne. Vnde cōsequitur, eos, qui argutātur, Cō-  
fessionem idcīrcō iuris Diuini non esse, quod  
non uno eodemq; ritu in vniuersis Ecclesiis,  
& omni tempore sit obseruata, nostra quidē  
sentētia haud leuiter falli: Rituū enim di-  
ueritas nō mutat rei substantiam. Et, vt Cy-  
prianus ait in Epistola ad Antonianum; Ma-  
nente cōcordiæ vinculo, & perseverante Ca-  
tholicæ Ecclesie indiuiduo Sacramento, actū  
suum disponit & dirigit vnuquisq; Episco-  
pus, rationem propositi sui Dño redditurus.

Verūm, cūm quæritur: Num Confessio  
absolutè accepta, nempe, pro agnitione, ac  
enarratione peccatorum, quę apud Sacerdo-  
tem, per eum, qui grauata habet conscientiā,

A 2 fit,

## *Capu I. De Institutione*

fit, iuris Diuini sit, & an necessaria. Ibi quid respōdendū sit, disce ex sequenti quæstione.

*Quæstio*

II.

*Si non ab Ecclesia, à quo igitur instituta est Confessio?*

*Respōsio.* C<sub>onf</sub>ertissima fide tenendū, ac nullatenus dubitādum est, quin, vt cætera Sacra menta, ita etiam Confessio à Christo sit instituta, id quod necessaria consecutione ex sacris literis facilè demonstrari potest.

Ac P R I M O. omniū, locus apertus est apud Ioannem: Accipite Spiritum sanctum ( ait Christus Apostolis) quorū remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Hic potestatem peccata remittendi, & retinendi Apostolis, & in eis omnibus Sacerdotibus cōtulit, Iudicesq; constituit in caussā, quæ est inter D E V M offensum, & peccatores offensores, vt eorū iudicio Rei vel ad regnum D E I admittantur, vel ab eodem repellantur. Si ergo id incumbit muneris Sacerdotibus, vt inter peccata remittēda, & retinenda diiudicent, atq; hoc iudicium legitimè exercere nequeant, incognita caussā; hoc est, nisi pœnitens peccata exponat; hinc conficitur, peccatorem oportere sua peccata cōfiteri, ne super incognitis temeraria feratur sententia.

S E C V N D O, non minùs illustris est locus apud Matthæum, ad demonstrandum, Confessionem esse à Christo institutam, ex

60

eo, quod Christus claves aperiendi ac claudendi regnum cœlorum Petro promisit. Tibi Matth. 16.  
dabo claves regni cœlorum (ait) &c. Has claves  
Petro eiusque Successoribus tribuit atque concessit post resurrectionem his verbis: Pasce Ioan. 21.  
oues meas. Iam si Petrus accepit claves regni cœlorum, ac eis uti, hoc est, peccatum ligare et soluere nequeat, nisi quale illud sit, cognoscatur; cognoscere porrò nequeat, nisi poenitentes ipse sua scelera manifestet: Hinc fit, ut, qui claves instituit, etiam Autor sit Confessionis.  
Quare ex ipsius Christi institutione omnes tenentur confessari, ut iusta ferri possit sententia, iuxta id Proverbiorum: Qui iudicat, quod Prou. 13.  
nouit, iudex iustitiae est.

Vel, quid soluet, aut ligabit, quid remittet,  
aut retinebit Sacerdos, si nihil ei confessum erit? Quomodo laborantes, & oneratos vice Matth. 11.  
Christi reficiet, qui nescit, ex qua parte premantur, ac urgantur. Christus scrutator re- Hier. 17.  
num, & cordium, & qui nouerat omnia, interrogat cæcum: Quid vis, ut faciam tibi? Et Luc. 18.  
Sacerdos, homo mortalis, alterius conscientie penitus ignarus non rogabit? Quibus morbis vis succurrā? Diuus Ioannes Chrysostomus requirit, ut confessentes D E O (quem nihil latet) non solum nos fateamur peccatores esse; sed & singula delicta computemus, ac recenseamus, quod aliter homo morborum suorum oblitus, misericordie medicinam nunquam fideliter, ac recte petierit. Quantò ma-

A 3 gis

## *Caput I. De Institutione*

gis homini Sacerdoti enarranda est peccatorum varietas, eorum saltem, quæ conscientia detinent alligatam, non quidem Sacerdotis, sed confitentis gratia, ut dignam possit percipere medicinam.

TER TIO, cùm Christus dederit potestatē retinendi & absoluendi, vtq; nō omnia omnibus peccata indifferēter remitti voluit; aliàs non dedisset potestatem retinendi: Secundū ergo rationis iudicium, potestatē dedit absoluendi, & retinendi. Absoluendi quidem verè pœnitentes, & obedientes; retinendi verò peccata, non confitentiū, vel perseverare in eis volentiū, vel submittere se eorum iudicio nolentium. Hoc autem absque peccatorum manifestatione vsq; adeò facere non poterant Apostoli, nec Discipuli, nec eorum Successores, vt planè impossibile videatur, intelligere; quomodo quis peccatum aliquod remittere debeat, aut retinere, soluere, aut ligare, cuius nullā habeat cognitionem. Sequitur ergo, quòd per hæc verba, Christus iniunxit peccatoribus manifestationem, seu Confessionem, vt cognita peccatorū diuersitate, pœnitentes erubescerent, & fructus dignos pœnitētia, à Sacerdotibus iniūctos, agerent; aliàs eis Ecclesiæ claves frustrà dedisse videretur, qui tamen omnia in sapientia fecit.

Aut dicat mihi aliquis, qui discernet Sacerdos; sintne peccata remittenda, vel retinenda, nisi priùs eorum audierit varietates? Quo pacto

**Luc. 3.**

pacto, quæso, is ( qui Euangelicus ille stabu- Luc. 10.  
 larius est ) vulneribus ægroti vinum & oleum,  
 velut i prudens medicus, infundet, & accura-  
 tam eius curam habebit, nisi prius vulnus di-  
 ligenter inspexerit, ac morbi radices inuesti-  
 gauerit? Quomodo per contraria contrariis  
 medebitur, nisi nouerit vtraque? Neq; enim  
 ineptiunt, qui, quod à Boëthio dictum est, si-  
 militidine quadam huc transferunt, nempe;  
 Si operam medicantis expectas, oportet ut Augusti. in  
 vulnus detegas tuum: Quod scilicet hac simi- Psal. 87. &  
 litudine nō tantum Christus, sed & Scriptu- in Psal. 66.  
 ra passim vtatur, medicos anime ad medicos  
 corporis conferens, qui per fidele ministerium  
 opitulentur saluti, medicinā adhibentes, ni-  
 mirūm fomenta verborum.

Rursus, qua ratione præoccupatum in ali-  
 quo delicto Presbyter instruet in Spiritu le- Gal. 6.  
 nitatis, nisi delicti speciem (quod Diuina in- Hieron. in  
 structione amputandū est) perceperit prius? Esa. ca. 14.  
**Quo** tandem pacto, sermone D E I, & testi-  
 moniis Scripturarū & exhortatione virtutū Prover. 5.  
 soluet ligatos, nisi vitiorū nodos, (quibus vti-  
 funibus peccatores cōstringuntur) arte qua-  
 dam nō vulgari, enodari, explicare ac dissol-  
 uere curauerit? **Quamobrē** rectè Gregorius, Gregor. in  
 Videndum, inquit, quæ culpa, aut quæ pœ- Ioan. 20.  
 nitētia sit secuta post culpam; ut quos Omni-  
 potens D E V S per compunctionis gratiam  
 visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tùm  
 enim vera est Absolutio præsidentis, cùm  
 etiam sequitur arbitrium iudicis.

## *Caput I. De Institutione*

**QVARTO**, potest idem etiam probari  
**Matth. 5.** ex illo Matthæi: Nolite putare, quoniam ve-  
ni soluere Legem, aut Prophetas: Non veni  
soluere: sed adimplere; idq; hoc modo. Chri-  
stus impleuit legem Moysis, & omnia, quæ in  
ea fuerunt contenta & adumbrata, exhibuit;  
Sed **Confessio**, & **Absolutio Sacramentalis**  
fuerunt in lege Moysis, adumbrata: Ergo fue-  
runt à Christo instituta.

Propositio est manifesta ex prædicta au-  
toritate: Assumptio probatur. **Quia** Sacer-  
dotium Leuiticum, quod erat super carnalia,  
& corporalia, repræsentabat Sacerdotiū Eu-  
angelicum, quod futurum erat circa spiri-  
tualia, vt probat Apostolus; qui concludit,  
Sacerdotium Leuiticum fuisse transferendū  
imò etiam translatū in Sacerdotium Euan-  
gelicum. Vnde ait: Translato Sacerdotio, ne-  
cessē est, vt legis translatio fiat; Sed ad Sacer-  
dotes Leuitici generis pertinebat iudicium  
lepræ carnalis, quæ figura erat lepræ spiritua-  
lis, hoc est, peccati; & leprosi tenebātur ostē-  
dere Sacerdotibus locum, & tumorem illius  
lepræ carnalis: Vnde iussit Christus leprosis,  
**Luc. 5. 17.** vt se ostenderent Sacerdotibus, sicut præ-  
cepit Moyses: Ergo ad Sacerdotium Euange-  
licū, siue ad Sacerdotes Euanglicos pertinet,  
iudicare de lepra spirituali, hoc est, de pecca-  
tis, & leprosi spirituales, hoc est, peccatores,  
tenantur eis ostendere lepram, hoc est, pecca-  
tum, quod fit per **Confessionem**, & iudicium  
per **Absolutionem**. Et

Et sicut leprosi, qui ostendebant lepram Sacerdoti, cuius iudicio remittebatur ad castra, erant sanati; & qui non se ostendebant, non declarabantur esse sani; ac proinde necessum erat, eos extra castra versari, & permanere. Sic peccatores ostendentes, & confitentes peccata sua Sacerdoti, cui commissum est iudicium; per eius iudicium, hoc est, Absolutionem, remissionem peccatorum consequuntur; qui verò non confitentur, vel qui confitentur, & non intendunt abstinere, aut satisfacere ad iudicium Sacerdotum, non obtinent Absolutionē, sed manent peccatores, & non sanantur.

Pro quo etiā facit ratio, quia ex quo Christus venit curare vulnera nostra, conueniebat, ut tam perfectus Medicus necessarias, & salutares medicinas nobis relinqueret. Inter alias autem medicinas curatiuas, una et potissima post Baptismum, est Sacramētalis Confessio, quam Hieronymus dicit secundā post Hieron. in naufragium tabulam.

Item cùm solus ille potuerit Sacramēta instituere, qui potest signis sensibilibus efficaciam, & virtutem dando gratiam conferre, DEV S videlicet, cuius solius est gloriam & gratiam præstare, & de impio iustum efficer: Consequitur profectō inde Confessionē peccatorū, quae est potissima pars Pœnitentiæ, à nullo alio, quàm ipso Christo, fuisse institutam, cùm sit eiusdem, instituere totum

cap. 3. Esa.

sup illud.

Ruit. &amp;

Hierusalē.

Item super

Amos c. 1.

## *Caput I. De Institutione*

essentiale & partem essentiae. Ideoque etiam

**Cō. Trid.** Concilium Tridentinum hanc veritatem  
**Sess. 14. c. 5** his disertis verbis definiuit. Ex institutio-

ne Sacramenti Pœnitentiae, iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institu-  
tam etiam esse à Domino integrā peccato-  
rum Confessionem, & omnibus, post Ba-  
ptismum, lapsis iure Diuino necessariā exi-

**Ioan. 20.** stere; quia Dominus noster IE S V S Chri-  
**Matth. 16.** stus, è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes

**C. Verbū.** sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Praesi-  
de Pœnit. des, & Iudices, ad quos omnia mortalia cri-  
dist. 1. Et mina deferantur, in quæ Christifideles ce-

**C. adhuc.** ciderint; quò, pro potestate clavium remis-  
de Pœnit. sionis, aut retentionis peccatorum senten-  
dist. 3. tiam pronuntient. Constat enim Sacerdo-  
tes iudicium hoc, incognita cauſa, exercere

non potuisse, neq; æquitatem quidem illos  
in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in  
genere duntaxat, & non potius in specie ac  
sigillatim, sua ipſi peccata declarâſſent. Ex  
his colligitur, oportere à pœnitentibus oīa  
peccata mortalia, quorum post diligentem

**Cōc. Trid.** Confessione recensi, etiamſi occultissima  
**Sess. 14.** fint. Hactenus Concilium Tridentinum,  
**Can. 6.** quod hanc doctrinam, hoc etiam Canone,

confirmauit: Si quis negauerit Confessio-  
nem Sacramentalem, vel institutam, vel ad  
salutem necessariam esse iure Diuino &c.  
Anathema sit.

*An*

*An non verba illa ligandi, & soluen- Quæstio  
di, remittendi, & retinendi, de fide po- III.  
tius, quam criminum disquisitione  
intelligenda sunt?*

**C**onstat eos, qui rebus nouandis student, Doctoribus Ecclesiæ non assentiri, qui verba ligandi, & soluendi, remittendi, & retinendi, disquisitionem quandam criminum exigere existimauerunt; sed ipsi hæc verba ad fidem tantum referunt, ut is soluēdus sit, qui dicat, se tantum credere, sibi per Christum esse remissa peccata, etsi non confiteatur eadem speciatim: Is verò solus ligādus sit, qui Euangelij promissionē respuit, verbum Dei auerſatur, aut contemnit. In summa, qui sibi peccata remitti non credit.

*Respoſio.*

Verū respondemus nos, nequaquā inficiari fidem remissionis peccatorum, quam mel. 1. in in nobis efficit Spiritus sanctus, omnino ne- cessariam esse in pœnitente, qui velit clauī fructum percipere. Nam vt clavis non aperit seram, nisi sera ad recipiendum clavē sit disposita; sic virtute clavium spiritualium nō soluitur peccator, nisi mentē habeat hac fide præparatā. Quò fit, vt Patres interdum hanc fidē et Spiritum sanctū, qui fide datur, tali Petri clavē regni cœlestis appellēt, & sine fide pre- ambula & Spiritu sancto, nec Sacerdos clauibus dignè vtatur, nec claves in peccatorū cordibus aperiendis sint efficaces.

A 6

Sed

## *Caput I. De Institutione*

**Claues a-**  
**liud sunt**  
**quam Fi-**  
**des.**

**Matth. 16.** claves vel promitteret, vel daret; Ergo claves esse oportet quid præter fidem, hoc est, po-

**Ioan. 20.** testatè quandam, qua in Ecclesia pœnitètes, cùm accèdunt per fidem, ac cōfidentur, & cōfessi per tenentes Ecclesiæ nomine claves correpti soluuntur, & ligantur.

**August. de** In quam sententiam D. Augustinus dixit,  
**doct. Chri.** Christum has claves ligandi, & soluendi Ecclesiae dedisse, scilicet, ut quisquis in Ecclesia,  
**lib. 1. cap. 17. & 18.** eius dimitti sibi peccata non crederet, nō ei  
Nota ver- dimitteretur: **Quisque autē crederet, seq;** ab  
bū Corre- his, correptus, auerteret, in eiusdem Ecclesiæ  
ptus. gremio cōstitutus, eādem Fide, ac correctio-

**Aug. de Fi-** ne sanaretur. **Quisquis enim** (ut subdit) non  
de ad Pet. credit sibi dimitti posse peccata, fit deterior

**ca. 3.** sperando, quasi nihil illi melius, quam male

esse, remaneat, vbi de fructu suę conuersionis infidus est. Hæc ille. Neq; enim frustra dixit Augustinus, ut quisq; in Ecclesia correptus, se à peccatis auerteret, quemadmodum idem alibi dixit: Pœnitentiam tunc peccatori professe, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui D E V S in persona B. Petri ligādi soluendi;  
**Matth. 16.** tribuit potestatem, dicens: **Quæ alligaueritis** super terram &c.

Quantò ergo rectius & veteres & recen-  
tiores Catholici Patres, locū illum Ioannis 20  
de

de tali potestate remittendi, & retinēdi peccata (quæ Confessionem præambulā requireret) intellexerunt.

Inter recentiores Hugo Victorinus non contemnendus Autor, sic ait: D E V S homo, homines, qui puri homines erant, participes fecit potestatis suæ, ut officiū eius implerent, pœnitentium Confessionem suscipiendo, ut potestatem eius exercearent, Pœnitentibus, & Confitentibus peccata remittendo, cùm inquit: Accipite Spiritum sanctum &c. Ioan. 20.

Iam, quis est tam stupidus, qui non potius ducat Patrum; immo totius Ecclesiæ consensum in interpretandis Scripturis, singularibus quorundam, atq; exoticis sententiis anteponere? Præsertim cùm Patrum sententia Christi verbis quam maximè cōsentanea sit, præcipue si fines Absolutionis, & claviū in Ecclesia reliquarum intuearis?

Nobis certè plurimum hallucinari videntur, qui per verbum (retinere peccata) nihil bū (remittere aliud intelligunt, quam relinquere eum, qui peccatum D E I auersatur, suo errori existimat) intellentes locos Euangelicos, qui de claviis sunt, gatur. Quid p veretur, qui per verbum (relinquere eum, qui peccatum D E I auersatur, suo errori existimat) intellentes locos Euangelicos, qui de claviis sunt, gatur.

quod ad retentionem, seu ligationem attinet, Discrimen locorum.  
nihil aliud continere, aut velle, quam quod Matth. 10.  
Christus tradidit apud Matthæū: Quicunq; Matth. 10.  
non receperit vos, neq; audierit sermones vestros, exētes foras de domo, vel ciuitate, ex-  
cutite puluerē de pedibus vestris &c. Nā quis non videt, claves ad soluendos, vell ligandos  
fratres,

## *Caput I. De Institutione*

fratres qui de Ecclesia sunt, Ecclesiæ traditio  
tas esse? Locus autem ille Matthæi: De his  
qui foris sunt, loquitur, fidē in Christum,  
& Euangelium repudiantibus vel corrum-  
pentibus, qui non clavum virtute; sed infi-  
delitate sua, & proprio iudicio condemnā-  
tur; quos tanquam deploratos, nisi resipue-  
rint, relinquendos Euangelium & Aposto-  
li tradiderūt. De quibus Paulus dixit: Quid  
enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare?

**I. Cor. 5.**

*Quæstio Quid respondendum iis, qui eò, q̄ Chri-  
stus nullibi hanc secretam peccatorum  
Confessionem expressis et disertis ver-  
bis præceperit; Christianos nequa-  
quam ad eam alligandos esse,  
contendunt?*

*Respoſio.* Nihil aliud illis responderi debet, quam  
quod tantum verbis inanibus sophisti-  
centur. Christus ægrotis medicum, onera-  
tis, ac laborantibus reſectorem ac cōſolato-  
rem ostendit. Ergo tibi videtur is ægro-  
to (qui reconualeſcere valet) satis præcepis-  
se, ut medicum adeat, qui medicinam oſten-  
dit? Quin ægrotis, ut ad medicum properet,  
præceptis non est opus; sed morbus ipſe ſa-  
tis interpellat infirmum, qui docet non be-  
**Matth. 9.** nè habentibus, ſed malè habentibus opus  
**2. Cor. 9.** eſſe medico.

Tace-

Tacemus interim, quod Christus non cunctos, sed voluntarios nos ad salutem perdit: Libera est fides; Libera sunt Sacra menta; adeo, ut nemo vel ad Baptismum capiens dum cogendus sit. Quis tamen ob id neget, Baptismum non esse necessarium, aut praecipitum volenti regnum Dei intrare? Ad eundem modum nemo delinquentem absolutè cogit, ut confiteatur; attamen si velint certi testimonium remissionis peccatorum, quae eum angunt, accipere, necesse est, ut Absolutioni Confessionem præmittat.

Et ut pertinacissime neget, hanc Confessionem, quae Sacerdoti fit, in Scripturis habere mandatum; nunquam tamen monstrabunt, Absolutionem ( Diuinum illud beneficium ) ulli hominum vñquā in Ecclesia fuisse impensum, nisi primum confessio.

Quamobrem, cum & ipsi fateantur, Absolutionem Sacerdotis esse liberalē promissionē, & preciosissimum thesaurum gratiae Dei, in quo Deus nobis exhibeat, & proponat suam misericordiam, et remissionem peccatorum; proindeque Christiano etiam nomine eum indignum esse, qui hunc tamē preciosum thesaurum contemnat; immo qui non summo defiderio eundem querat, & amplectatur: Consequens est, ut cogantur, nolint, velint, fateri, hanc Confessionem haud esse de numero eorum, que Christiano homini criminibus obruto, liberum sit vel facere, vel omittere.

Nam

## *Caput I. De Institutione*

Nam si omnino liberum facis Christiano,  
vt confiteatur, vel non confiteatur, vt sibi dicat,  
occulte ago, apud D E V M ago, nonit  
D E V S, qui mihi ignoscit, que in corde ago:  
**Matth. 18.** Ergo, quemadmodum inquit quidam Vir  
**Aug. in li.** pius) fine caussa dictum est; **Quæ** solueritis in  
**50. Hom.** terra, erunt soluta & in cœlo? Ergo fine causa  
claves datæ sunt Ecclesiæ? Frustramus Eu-  
angelium DEI, frustramus verbum Christi;  
si promittimus vobis, quod ille negat, nonne  
vos decipimus? **Quantò** rectius ergo idē ille  
colligit, agendam esse poenitentiam, qualis in  
Ecclesia D E I agitur, vt pro nobis & Ecclesia  
oret, quām isti, qui peccatores à Confessio-  
nis necessitate absoluunt.

Prætereà et si liberam faciant isti Confes-  
sionem auricularem, vt vocant, fatentur ta-  
men & ipsi retinendam esse eam in Ecclesia,  
ne prorsus inexplorati contra preceptū Pauli-  
num ad communionem admittantur.

**Inexplora-**  
**ti ad com-**  
**munionē**  
**nō admitt-**  
**tendi.**

Quæ cùm ita se habeāt, nec inficiuntur illi,  
eum hominem, qui vel negligit, vel contem-  
nit tam pretiosum Absolutionis thesaurum  
(non hominis, sed D E I verbum & munus)  
hunc ne quidē Christianum dicendum; sed à  
communione arcendum, quod cōtemnat id,  
quod Christiano contemnere non licet, eoq;  
contempto committat, ne remissionem pec-  
catorum accipiat, ac certum de se signū præ-  
beat, quod Euangelij cōtemptor sit. Quām,  
inquam, hæc illi multis exaggerent, nō vide-  
mus,

mus, cur tam sint iniqui huic Confessioni  
secretæ, qua sine, is thesaurus nō percipitur,  
& tām grauis censura incurritur.

*Habētne Cōfessio Secreta peccatorum Quæstio  
exemplum, & testimonium in V..  
Scripturis.*

**H**IC nullis certabimus argumentis cum *Respoſio.*  
contentiosis, sed tantūm opponemus eis  
autoritatem magni illius Basilij, quæ apud  
omnes Catholicos hactenus fuit sacrosan-  
cta. Is cùm Sacerdotibus confitendum esse  
asseruerisset, assertionem suam exemplis, & te-  
stimonio Scripturæ confirmat: Sic, inquit,  
& hi, qui antiquitūs poenitebant, inueniuntur  
apud sanctos confessi esse peccata sua:  
Scriptum est enim in Euāgelio; *Quia Ioan-* Marc. 3.  
*ni Baptistæ confitebantur populi peccata Act. 19.*  
sua: Et in Actibus Apostolorum, Apostolis  
hi, qui baptizabantur. Hæc ille.

*Silex DEI est, auricularis Confessio; Quæstio  
qui ausus est Nectarius Constan- VI.  
tinopoli eam refigere ac  
conuellere?*

**R**Efert quidem Sozomenus Episcoporum *Respoſio.*  
constituzione vnum è presbyteris pecu-  
liariter destinatum fuisse, ad quem acceden-  
tes hi, qui deliquerant, delicta propria fate-  
rentur.

## *Caput I. De Institutione*

**C**aluinus  
malè remo-  
tionē pres-  
byteri pœ-  
nitentialis,  
interpre-  
tatur auric-  
ularis Cō-  
fessionis  
abrogatio-  
nem.

Nectarius  
nō sustulit  
Confessio-  
nē, sed ad-  
ditionē de  
vno certo  
aliquo pres-  
bytero, pœ-  
nitentibus  
p̄ficiendo.  
Additio ab  
Episcopis  
antiquo Ec-  
clesiæ Ca-  
noni adie-  
cta.

rentur. Presbyterum, inquam, bonaे con-  
uersationis, seruantemq; secreti, ac sapien-  
tem, qui secundūm vniuersitatisq; culpam in-  
dicebat & mulctam, & hoc vñsq; ad sua tem-  
pora diligenter in Occidentalibus obserua-  
tum fuisse Ecclesiis, & maximè apud Roma-  
nam. Ac Constantinopoli quoque fuisse ser-  
uatum, ait, donec facinus à Diacono admis-  
sum est in matronam quandam: Ob quod  
Nectarius illius Ecclesiæ Episcopus pœni-  
tentialem Presbyterum, hoc est, pœnitenti-  
bus præfectum amouit. Sic habet Sozome-  
nus, & Historia tripartita. Ioānes verò Cal-  
uinus huiusmodi Presbyteri secundūm con-  
stitutionem Episcorum ordinati remo-  
tionem intelligit & interpretatur abroga-  
tionem ritus, ac moris confitendi, & auricu-  
laris Confessionis. In quo manifesta vtitur  
calumnia: Non enim Confessionem, cuius  
antiquissimus in Ecclesia usus est (vti ex hi-  
storia totius negotij liquidissimò constat)  
Nectarius abrogauit, nec abrogare potuit;  
sed additionem solam, quam propter No-  
bytero, pœ-  
natum eiusq; hæresim Episcopi adiecerant  
priori & antiquo Ecclesiarum Canoni, siue  
regulæ, de confitendis peccatis Sacerdoti.

Habebat autem harc adiectione, quod cer-  
tus quidem Presbyter pœnitentibus præfi-  
ceretur, apud quem omnes, qui post Bapti-  
sum prolapsi essent, peccata sua confite-  
rentur; dicit enim Socrates, & similiter So-

zome-

zomenus, quod Sacerdotibus placuit institui Presbyterum aliquem, ad quem, qui deliquerant, accedentes, quae gesissent, confiterentur: Prius enim liberum erat, ex pluribus Presbyteris per Episcopum constitutis, vnum aliquem eligere; quod clarè testatur historia Serapionis apud Eusebium.

Euse. lib. 6.

cap. 44.

Obligabatur quoque pœnitentiarius Sacerdos, per hanc appendicem ( ut habet S. Zomenus ) ad referendum Episcopo audita peccata, maximè enormia, quamvis secreta, quæ postea ipse publicè recitabat in Ecclesia: Ait enim, Propterea ab initio visum est Episcopis peccata annuntiare, siue promulgare, quasi in theatro, teste multitudine Ecclesiæ.

Huius autem additamenti obseruatione, natum est scandalum populi, & accepta occasio saeuendi in Sacerdotes: Hoc enim facinus cognouit ex recitatione facta, iuxta illud Episcoporū additamentum, propter quod visum fuit Nestorio, quod ipsum abrogare conueniret. Nihil igitur commune habet abrogatio huius additamenti, cum abrogatione Confessionis, de qua erat antiquus ab Ecclesiis Canon receptus, ut fieret apud Sacerdotem de omnibus peccatis.

Abrogatio  
additamē-  
ti nihil ha-  
bet cōmu-  
ne cum ab-  
rogatione  
Confessio-  
nis.

*Cur Chrysostomus, tam sanctus Episcopus, Confessionem auricularem suo tempore non seruauit, si à Christo est instituta?*

Quæstiō

VII.

Profe-

## *Caput I. De Institutione*

**Respoſio.** PROferuntur quidē ab iis, qui Confessio-  
nem peccatorum apud Catholicos vſita-  
tam ferre non poſſunt, aliqua loca, quibus  
pro confirmanda opinione ſua, nituntur. Ex  
quibus vnum aut alterum proferemus, eiq;  
claram adhibebimus reſponſionē. Peccata,  
**Chryſoft.** ſcribit quodam in loco Chryſoftomus, tua  
hom. 2. in dicio, vt deleas illa. Si confunderis alicui di-  
Pſal 50. cere, quæ peccāſti, dicio quotidiē ea in ani-  
Sermo. De ma tua. Non dico, vt conſitear is conſeruo  
Poenit. & tuo, qui exprobret, dicio Deo, qui curat ea.  
**Confefſ.** Peccata tua ſuper ſtratum conſitere, vt ibi  
ſua mala quotidiē conſcientia tua recogno-  
ſcar. Item: Nunc autem neque neceſſarium  
eſt præſentibus teſtibus conſiteri, cogitatio-  
ne tua, fiat delictorum exquifitio; fine teſte  
fit hoc iudicium, ſolus D E V S te conſi-  
tem videat. Item: Non te in ſeruorium tuorū  
theatrum duco, non hominibus pecca-  
ta tua detegere cogo. Repete corām D E O  
conſientiam tuam, & explica.

Verū errant ij, qui dictis locis ſecretam  
peccatorum Confeſſionem, apud Catholicos vſitatā oppugnare nituntur toto cœlo: Iis  
enim & ſimilibus locis Chryſoftomus, non  
Confeſſionis, ſed appendicis tantūm, per E-  
piscopos, ob Nouati hæresim, Confeſſioni  
adiectæ, cuius proxima quæſtione mentio-  
nem fecimus, abrogationē teſtatur. Id quod  
ipsa verba eius, ſi quis ea penitiūs introſpi-  
ciat, apertissimè docent, dum quaſi ad verba

Sozomeni

Sozomeni de theatro alludit, inquiens: Non te in conseruorū tuorum theatrū duco &c. Nequaquam igitur conscientias hominum vinculis Confessionis liberat, quibus Diuina lege constringuntur; sed gratulatur, populū liberatum esse magno illo onere, quod propter hæresim Nouati, Episcoporum constitutione Confessioni adiestum fuerat.

*An non Iacobus, scribens: Confitemi- Quæstio  
ni alterutru peccata vestra; potius quam VIII.*

*Christus, Sacramentalem Confes- Iacob. 5.  
sionem instituit?*

**C**Vm tota Ecclesia Sacramentum aliquod *Respōsio.*  
instituere non possit, multò minùs vnuis homo, quantūmuis sanctus. Ideoque dictis verbis non tam institutam à Iacobo & præceptam Sacramentalem Confessionē, quam eam, quæ pridem à Christo ipso instituta es- set & præcepta, promulgata, recte viri quidam pij & docti existimauerunt.

Neq, mouere quenquam debet vox hæc, alterutrum, ut putet eam ad Sacramentalem Confessionem, quæ Sacerdoti fit, referri nō posse. Vir fuit excellens & doctrina & vitæ sanctimonia Hugo de S. Victore, Bernardi aequalis: Is cùm adduxisset hunc locum Iaco- bi: Quid est, inquit, alterutrum? Ac mox respondet: Non solum homo D E O, sed in- ter vos alter alteri, homines hominibus, oues pastoris

Hugo libr.  
2. de Sacra  
mētis, par-  
te 14. ca. 1.

## *Caput I. De Institutione*

pastoribus, subiecti prælatis, iij, qui peccata  
habent, iis qui peccata dimittere potestatem  
habent.

**Beda in Iacob. c. 5.** In quam sententiam Beda quoque verba  
**2. Cor. 11.** hæc Iacobi interpretatur, idq; meritò: Nam  
quia multi, vt ait ad Corinthios Paulus, pro-  
pter peccata infirmantur, infirmos Iacobus  
admonet, vt accersitis Presbyteris primùm  
confiteantur, vt subinde ipsi orent pro illis.

Dicens ergo, Confitemini, non se insinuat autorem legis; sed id admonet, quod Christus instituerat. Præmiserat enim simili-  
liter, dicens: Nolite iurare neque per cœ-  
lum, neque per terram &c. & tamen id non  
dicebat tanquam præcepti autor, sed tan-  
quam vel promulgator vel admonitor Diu-  
ni mandati. Similiter quoque Petrus dixer-  
at, Poenitentiam agite, & baptizetur unus-  
quisq; vestrum. Quod ergo Iacobus admo-  
net, signum est Diuni præcepti. Igitur quod  
ait, alterutrum, scitè interpretatur Hugo:  
Etenim cùm Apostolus præmonuerat indu-  
ci Præbyteros, hoc est, Sacerdotes Ecclesie,  
illuc insinuauerat Confessionem illis esse fa-  
ciendam. Ait autem, alterutrum, id est, alter  
alteri, putà, homo homini, ac si dixisset: Nō  
satis est hominem D E O confiteri, vt David,  
qui aiebat, Dixi confitebor iniustitiam meā  
Domino; sed homini etiā propter D E V M.

Itaque, alterutrum, non id sonat, quod  
vñusquisq; promiscuè vnicuiq;, putà, laicus  
laicæ

**Matth. 5.**

**Acto. 2.**

**Hugo. vt  
suprà**

**Psal. 31.**

laico: Sed alterutrum, idem est, quod inter  
vos, scilicet homines hominibus, oves pasto-  
ribus, subiecti prælatis, preterquam, quod &  
Sacerdotes Sacerdotibus inuicem confiten-  
tur. Quapropter quod ait: Et si in peccato  
sit, remittetur ei, non solum refertur ad Pres-  
byterorum orationem, qui orabant pro in-  
firmo; quasi illa sola sit futura remissionis  
causa: Sed ad Absolutionem Sacramentalē,  
quæ orationē præcedere debet. Et ideo sub-  
dit: Confitemini alterutrum peccata vestra,  
& orate pro inuicem, ut saluemini. Non so-  
lum orate, ut saluemini: Sed confitemini ut  
saluemini. Quare hoc potissimum loco fun-  
datur necessitas *Confessionis* in articulo  
mortis.

Accedit in eandem sententiam Augusti-  
nus, de visitatione infirmorum, vbi contra  
illos, qui dicebant, satis esse confiteri D E O,  
hunc locum adducit, quod scilicet, necessa-  
rium sit, confiteri alterutrum, putà, homi-  
nes hominibus, non quibuslibet, sed acer-  
fitis Presbyteris.

Aug.lib.2.  
de Visitat.  
infirm.c.4

*Estne Obligatio confitendi vocaliter  
Sacerdotibus, de Iure Diuino,  
an solo humano?*

*Questio  
IX.*

*C*um Confessio hec Sacramentalis, de qua  
loquimur, se extedat ad peccata occultis  
sama,

*Respōsio.*

## *Caput I. De Institutione*

fima, & secreta cordis, in quibus Ecclesia, aut puri homines potestatem non habent obligandi vel prohibendi : Sequitur, quod præfata obligatio confitendi, non est de iure humano. Primum indubitate veritatis esse impræsentiarum statuimus; Secundum probatur : Ecclesia non potest ferre legē de actu aliquo, cuius transgressorē punire non potest: ( Frustrā enim daretur lex ; si legislator in transgressores vim non habeat coactiuā.) Sed Ecclesia actus occultos cordis punire nō potest, nec eorum omissionem: ( Quandoquidem homines non iudicant, nisi ea, quæ patent: ) E V S autem intuetur cor, qui solus est scrutator rerum & cordium; & huiusmodi secreta Diuino iudicio sunt reserata, ut dicitur capit. Qualiter & quando, de accusationibus, & de Simonia in multis capitib.) Supereft ergo huiusmodi Confessionem secretam, quæ ad occultissima cordis peccata se extendit, esse de Iure Diuino, non de humano.

Hier. 17.

Ioan. 5.

Secundò probatur ex illo Ioannis : Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Et paulò pōst : Potestatem dedit ei, iudicium facere, quia Filius hominis est. Iam, si omne iudicium dedit Filio, pro vt Filius hominis, & homo est : Igitur Christo, pro vt homo est, conuenit, peccatores iudicare; non solum in fine mundi, sed etiam in præsenti vita, dignos ad D E I gratiam admittē-

mittendo, indignos verò reprobando. Quare necessarium est, ut peccatores se Christo præsentent, qui, cùm secundùm veritatē humanae naturæ, & substantiæ corporaliter præsens in terris nō sit, sed Vicarios suos Sacerdotes reliquerit, quibus potestatem iudicandi in cauſa peccatorum concessit: Consequens est, quod teneantur peccatores se Sacerdotibus præsentare; ut per eos iudicentur. Iudicari autem non possunt, nisi prævia Confessione. Igitur Confessio iuris est Diuini, non etiam humani.

TER TIO, confirmatur ex illo Ioannis: Stans, inquit, in medio discipulorum, dixit Ioan. 20. eis: Pax vobis. Sicut misit me Pater; & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata; remittuntur eis: Et quorum retinueritis, retenta erunt. Ex hoc loco discimus; Apostolos à Christo mitti, quemadmodum ipse à Patre missus est. Missus est autem cum potestate ligandi & soluendi; remittendi & retinendi peccata, quam hīc communicat Apostolis.

Igitur, quemadmodum absque Christo mediatore, nemini fas est sperare delictorum condonationē à D E O Patre; ita quoque quisquis Christi ordinationem, ipsiusque Vicarios, Sacerdotes, remittendorum, & retinendorum peccatorum, potestate præditos, neglexerit, aut contempserit; non

B est, quod

## *Caput I. De Necesitate*

est, quod se impetraturum quicquā sibi persuadeat. Quod si ita est (est autem vero, ut ita dicam, verius) si inquam, penes Sacerdotes est potestas absoluendi à peccatis, in causa, quae est inter D E V M, & peccatores, iudicandi; Ipsi autem iudicare non possunt, nisi causam cognoscant, & peccata: Hæc autem cognoscere non possunt; nisi prævia ipsorum delinquentium Confessione. Igitur Confessio iure Diuino est ne-

Matth. 18. cessaria. Confirmatur hoc, ex illo Matthæi: Quæ ligaueritis in terris, erunt ligata in cœlis: Quæ solueritis, erunt soluta & in cœlis. &c.

**QVARTO**, probatur ex eo, quod dixit Iacobus in sua Canonica: Confitemini alterutrum peccata vestra, ut saluemini. Qui quidem Apostolus, etsi non fuerit, nec esse potuerit, huius Sacramenti institutor; potuit tamen esse, & fuit promulgator: Sicut & idem Iacobus Sacramentum extremæunctionis ibidem promulgavit, quod à Christo creditur institutum. Afferunt etiam ad id, illud Pauli ad Romanos: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit Confessio ad salutem. In quo, Apostolus Christi instituta sciens, videtur nobis intimasse necessitatem vocaliter confitendi.

**QVINTO**, probatur ex eo, quod Christus ad leprosos, qui curari à lepra petierant, dixit: Ire, ostendite vos Sacerdotibus. In quo

Iacob. 5.

Roma. 10.

Luc. 17.

In quo Christus figuratiuè videtur peccatoribus præcepisse, si velint misericordiam obtainere, ut se Sacerdotibus præsentent, ut eorum iudicio impetrent, peccatorum condonationem. Quandoquidem per leprosos, peccatores, per lepram, peccatum, per ostensionem, qua se debebant Sacerdotibus ostendere, Confessio, & vitæ manifestatio figuratur. Per iudicium verò legalis Sacerdotis, Absolutio Sacramentalis significatur.

Vide argu-  
mentū 4. q.

2. Vbi hæc  
res fusiùs  
explicatur.

**S E X T O**, probatur per hoc, quod Christus contulit Petro, & Sacerdotibus claves Ecclesiæ, per quas possint regnum cœlorum his, quos dignos esse iudicauerint, aperire. Igitur necessarium est, ut peccatores, qui regnum cœlorum introire volunt, Sacerdotibus se præstent, & peccata confiteantur; ut per eorum iudicium, regnum cœlorum eis aperiatur, quod, ob ipsorum peccata, clausum fuerat. Alioqui, si id necessarium non esset, sed possent peccatores per solam cordis pœnitentiam saluari, & regnum cœlorum intrare, frustra huiusmodi claves essent Ecclesiæ collatæ.

**D E N I Q V E**, hanc, qua de agimus, Confessionis necessitatem, plerique Doctores probant ex eo, quod supra citatum est ex Ioanne. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Sumpta secunda parte huius clausulæ, quia,

Ioan. 20.

B 2

ut Glossa

## *Caput I. De Necessitate*

ut Glossa illic habet, Sacerdotes retinere peccata, non est, censuram aliquam, aut sententiam ferre, ad ea retinendum; sed est, Sacerdotes ea non remittere: Ita, ut retinere opponatur ei, quod est remittere. Iam consecutio videtur aperta, Christus illic loquitur ad Sacerdotes de peccatoribus, dicens: Peccata, quae vos peccatoribus remiseritis, ego remittam: Quae autem vos non remiseritis, nec ego remittam.

Cum autem necessarium sit peccatori, ad ipsius salutem, ut D E V S illi peccata remittat; hoc verò non faciat, nisi per Sacerdotes: A Sacerdote autem remitti non possint, nisi peccata eidem innotescant: Innotescere illi non possunt, nisi ipse peccator, qui sui conscientius est, ea Sacerdoti detegat. Igitur à primo ad ultimum, necessarium est peccatori, peccata sua Sacerdoti detegere. Hæc consecutio procedit, etiam seclusa omni iuris humani dispositione. Supereft ergo, quod obligatio & necessitas vocaliter confitendi Sacerdoti, fit de iure Diuino.

### *Quæstio X. Estne de necessitate salutis, Sacerdotibus confiteri?*

**Respoſio.** **V**ocalis Confessio, dubio procul, de necessitate salutis est, ideoque Concilium Tridentinum, id, hoc Canone confirmauit: Si quis negauerit Confessionem Sacramentalē, vel institutam, vel ad salutem necessariam

Conc. Tri-  
dē. sess. 14.  
can. 6.

sariā non esse de iure Diuino: Anathema sit.

Præterea, antequam Concilium illud indiceretur, erat Confessio à Christo non solum instituta, sed nobis sub præcepto tradita; modò autem de necessitate salutis est, Christi præcepta seruare.

Ad hæc, etiam necessarium est ad salutem id, sine quo peccata à D E O non remittuntur: Huiusmodi autem est Confessio Sacramentalis. Igitur absque salutis periculo prætermitti non debet.

*Cùm Christus in Euangeliō Decalogi quidem, nullibi autem Sacramentalis Confessionis mentionē faciat; quomodo tanquam necessaria ad salutem requiritur?*

*Questio  
XI.*

*S*i Confessio peccatorum propterea non esset necessaria ad salutē, quod nulla eius in Decalogo mentio fiat; eodē modo probari posset, non esse de necessitate salutis, fidem, nec Baptismum, nec aliud Sacramentum; imò nec pœnitentiam cordis: Cùm de his in Decalogo expressa mentio non fiat; sicut nec de vocali Confessione. Ideò dicendum, non opus esse, omnia, quæ de necessitate salutis sunt, in Decalogo expressè contineri. Nec idē dixit Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; quia velit so-

*Respoſio.*

Matt. 19.

B 3 lam

## *Caput I. De Necessitate*

Iam eorum obseruantiam præcisè ad vitam sufficere; sed voluit significare; neminem, nisi mandata seruet, vitam æternam habitum. Eodem modo dicitur ad aliud.

Aliter potest responderi; omnia D EI præcepta ad Decalogum quodammodo reduci. Vnde ceremonialia ad præceptum de Sabbatho sanctificando referuntur, quod extendi solet ad cultum Diuinum, quem à nobis exigit D E V S, ad quem pertinet præceptum, de Sacramentis administrandis, vel suscipiendis, traditum.

*Quæstio Cùm D E V S per Prophetam palam pronuntiet, se, quacunque hora peccator ingemuerit; iniquitatum eius nolle recordari: cur insuper à contrito Confessio peccatorum tanquam necessaria ad salutem requiritur?*  
XII. Ezech. 18.

*Respōsio.* PErccator, etiam cùm assécutus est gratiam per cordis pœnitentiam, tenetur nihilominus ob præceptum, tám D EI, quam Ecclesiæ, confiteri Sacerdoti.

Nec obstat illud argumentum, quòd cessante ratione, & caussâ legis, ipsius quoque legis vis, & obligatio cesset. Et cùm ratio & caussâ, ad quam Confessio instituta est, sit

est; sit peccatorum remissio: Hæc autem remissio per contritionem iam facta sit; ideo sequi, quod cœlet quoque vis præcepti, de confitendis peccatis Sacerdotibus.

Non, inquam, obstat hoc, quia D E V S à peccatore offensus; etiamsi propter penitentiam cordis culpam ei remittat; id tamen loco satisfactionis à peccatore exigit, ut coram suo Vicario se humiliet, & confiteatur, Absolutionemque petat. A quo nisi absoluatur, dicitur quodammodo in peccatis permanere; etiamsi culpa fuerit per contritionem remissa. Quare, remissa culpa, manet adhuc ratio, & causa præcepti; nimis ut D E O satisfiat eo operum genere, quod ipse à nobis exigit. Cūm alia ratione illi satisfacere iuste non valeamus.

*Estne Confessio adeò necessaria ad sa-  
lutem, sicut Baptismus; ita ut  
nunquam liceat illam  
omittere?*

Quæstio  
XIII.

**C**onfessio non est adeò necessaria ut Ba- *Respoſtus*  
ptismus. Nam puer sine actuali Bapti-  
smo non potest saluari; potest autem homo  
adultus salutem consequi sine actuali Con-  
fessione.

B 4 Sed

## *Caput I. De Necessitate*

Sed utrum, cum quis potest confiteri,  
possit aliquando omittere Confessionem?  
Respondeo, magnum esse præceptorum Di-  
uinorum numerum. Vnde, si quando quis  
posset confiteri fine transgressione præcepti  
alicuius Diuini: Teneretur confiteri, etiā si  
pateretur rerum suarum iacturam. Si vero  
simul concurrat aliud præceptum Diuini  
cum Confessione, & præceptum Confes-  
sionis non possit impleri, fine alterius præ-  
cepti transgressione: Si illud est maius (ma-  
xime de iure naturali) tunc non tenetur  
confiteri; quale est non scandalizare. Vnde si  
pœnitens aduerteret, sua Confessione scan-  
dalizatum iri Confessarium: Sanè ad ei con-  
fitendum neutiquam obligatur.

*Quæstio Semp̄ne in Ecclesia Catholica, à tem-*  
**XIII.** *poribus Apostolorum, Confessio pecca-*  
*torum tam necessaria fuit habita, ut*  
*sine ea, adultis non remittatur*  
*peccatum?*

*Respoſio.* **M**aximè: Et id potest grauissimis pluri-  
morum SS. Patrum & Doctorum Ec-  
clesiae testimoniis clarissime comprobari.

Post Apostolos primi numerantur, Cle-  
mens Petri successor, & Dionysius Areopä-  
gita Pauli discipulus, vterque Martyr. Ille sa-  
tis per-

tis perspicue hanc Confessionem (qua con-scientiam apud Sacerdotem exoneramus) hisce verbis afferit: Si fortassis, inquit, in ali-cuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel ali-quod malum latenter irrepserit, non erube-scatur, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hec ei, qui præest (nimirūm Sacerdoti) ut ab ipso per verbum & confilium salubre cure-tur; quò possit fide integra, & bonis opibus pœnas æterni ignis euadere, & ad perpetua vitæ gaudia peruenire.

Et iterum. Quod in nauigatione Pelagi humanæ vitæ ferendi sunt vomitus, & suc-cussiones, & agitationes, cum ex Confes-sione peccatorum, & reiectione criminum, velut male congregati in visceribus fellis eie-ctio facienda est, & abiicienda prorsus à cor-de, intrinsecus latens amaritudo peccati; si qua fortè ex desideriis iniqua, velut ex cibis noxiis congregata est, quam vtique cum euocauerit quis, & abiecerit, ingentis æ-gritudinis liberabitur morbo; si tamen post vomitum, quæ ad sanitatem pertinent, su-mat.

Alter, nempe Dionysius, Demophilum Dionys.  
Monachum acriter increpat, quod impium Areopa.ad  
ad pedes Sacerdotis procidentem, ac confi-tentem, verecundè se ad peccatorum re-media querenda venisse, calce reiecerat, & usurpato Sacerdotali officio, Sacerdotem Demoph.  
communionem dantem lapsō, conuitiis la-

B 5 ceraue-

## *Caput I. De Necessitate*

cerauerat : Subindeque (vir ille sacer) diffinit omni ratione carere , DEI caussa, peruertere Diuinitus traditum ordinē , quod distinctiones , ordinesque confundere , sacratissimas DEI sanctiones & iura transgredi sit. Nimis indicans hanc confitendi rationem ex iure Diuino promanare ac descendere.

Tertull. de  
pœnit.

Tertullianus vicinus Apostolicorum temporum , testatur non facti solūm , verūm et voluntatis delicta vitanda , & pœnitentia purganda esse , sic , ut non sola conscientia proferatur , sed aliquo etiam actu administretur , qui magis Graeco vocabulo (nempe Exhomologesis) exprimatur , quem prosterendi & humiliandi hominis disciplinam vocat , conuersationem iniungentem misericordiae illicem : Et posteā inter opera pœnitentiæ recenset Presbyteris adiuolū atque arguit eos , qui hoc opus ac publicationem sui , aut suffugiunt , aut de die in diem

Pudor in- differre præsumunt , pudoris magis memores , quam salutis : veluti illi , qui in parti-  
tolerandus occulta nol- bus verecundioribus corporis contracta ve-  
le cōfiteri. xatione , conscientiam medentium vi-

tant ; & ita cum erubescientia sua pereunt : Secūda sub quem pudorem subinde intolerandum pro-  
fida , post nuntiat modis omnibus persuadēs , ut pecca-  
lapsum in tor in Exhomologesi , secunda subficia sta-  
Confessio- tuat ,  
ne.

tuat, suam salutem ne deserat, aggrediique  
ne cesset id, quod sciat mederi sibi. Atque  
alibi ait, D E V M Adam ad Confessionem  
peccati prouocasse, vt scilicet conderen-  
tur nobis exempla confitendorum potius  
peccatorum, quam negandorum, vt iam  
tunc initiaretur Euangelica doctrina: Ex ore  
tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnata- Matth. 12.  
beris.

Origenes, Ecclesiarum post Apostolos Origen. in  
magister (vt Diuus Hieronymus ait) ver- Psal. 37.  
ba ac sententiam Clementis, vt videtur,  
imitatus, sic habet: Vide quid nos edoceat  
Scriptura Diuina; quia oportet peccatum  
non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut  
hi, qui habent intus inclusam escam indi-  
gestam, aut humoris vel phlegmatis sto-  
macho grauiter imminentia, si vomuerint,  
releuantur: Ita etiam hi, qui peccauerunt,  
siquidem occultant & retinent intra se pec-  
catum, intrinsecus urgentur, & propemo-  
dum suffocantur a phlegmate, vel humore  
peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum  
accusat seipsum, & confitetur, simul eu-  
mit delictum, atque omnem morbi dige-  
rit caussam. Tantummodo (vt subiicit) cir- Medicus,  
cumspice diligentius, cui debeas confiteri hoc est, Co  
peccatum tuum, proba prius medicum, cui fessarius sa-  
debeas languoris caussas exponere, qui sciat cerdos, qui  
infirmari cum infirmante, flere cum flen- lis deligen-  
te, qui condolendi ac compatiendi noue- dus.

B 6 rit disci-

## *Caput I. De Necesitate*

xit disciplinam. Ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias, & sequareis, si intellexerit, & praeuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari; Ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari: multa hoc deliberatione, & sat periti medici illius consilio procurandum est.

**Cyp. serm.  
de lapsis.**

**Confessio  
occultorū.**

**Gal. 6.**

Origeni Græco, Cyprianum Latinum, illustrem Ecclesiæ Doctorem, & Martyrem, annexamus. Is modis omnibus cohortatur, ut non modò manifesta, sed & latentia peccatorum vulnera detegamus, & occulta solaque cogitatione perpetrata delicta confitemur. Et ut planè videoas, eum Confessionem secretam, quæ Sacerdoti fit, admodum probasse, eandemque tum in vñi fuisse, sic ait: Denique quando & fide maiori, & ti- more meliori sunt, qui, quamvis nullo sa- crificij aut libelli facinore constricti; quo- niam tamen de hoc, vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes D E I dolenter & simpliciter confitentur, Exhomologes in conscientiae faciunt, animi fui pondus exponunt, salutarem medelam, paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, D E V S non irridetur. Et post pauca.

**Conf.**

Ibidem.

Confiteantur, inquit, singuli, quæso vos fratres delictum suū, dum adhuc qui delicit, in sæculo est, dum admitti Confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.

Alibi hunc rectè agere pœnitentiam ait, qui diuinis præceptis mitis & patiens, & Sacerdotibus D E I obtemperans, obsequiis suis, & operibus iustis Dominum promeretur.

Huic iungendus est Nicephorus Cartho- Niceph. ad phylax, qui ad Theodosium Monachum sic Theodos. scribit: Ligandi soluendiq; Prouincia Pō- Monach. tificibus ip̄is à clementissimo D E O nostro demandata est. Siquidem ad Petrum ait: Quæcunque ligaueritis, ligata: & quæcunque solueritis, soluta erunt. Vnde (vt subiicit) olim omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaq; illis occulta prodere, & sic vel reconciliationē, vel repudium ferre. Ignoro autem, inquit, qui factū sit, cur hæc Ocultorū minūs obseruētur; quamuis existimē Pon- secreta Cō- tifices negotij tædio, frequentique multi- fessio anti- tudinis turbulentia defatigatos, id operæ quissima. ad monachos trāsmisisse, ad eos scilicet, qui verè probati sunt, aliisque valeant esse utiles. Ecce, quām perspicuè vir ille pius, morum confitendi Sacerdotibus, ex Diuinis literis assérerit ac comprobat.

Non obscurius Magnus ille Bafilius, &

B 7

ipse

## *Caput I. De Necessitate*

Basi. in reg. ipse Græcus, hanc Confessionem secretam  
Mon. c. 21. testatur. Locus est ex Dialogo, qui Regula

Monachorum inscribitur, per Ruffinū Syn-  
chronon D. Hieronymi verso. Quærit Mo-  
nachus: Qui vult pœnitere peccata sua, an  
omnibus debet confiteri, & quibuslibet, an  
Sacerdotibus tantum, an cæteris quibusque?

Respondet Basilius: Clementia DEI erga

eos, qui deliquerunt, manifesta est, secun-

Ezech. 18. dūm quod scriptum est: Qui non vult mor-  
tem peccatoris, sed ut magis conuertatur, &  
vivat. Quia ergo Cōfessionis modus ad hoc

aptus est; & conuertens se à peccato, fructus

dignos ostendere debet pœnitentiae, secun-

Matt. 3. 7. dūm quod scriptum est: Omnis arbor; quæ

non facit fructum bonum, excidetur, & in

Necessaria ignem mittetur: Necessarium videtur his,

Confessio quibus dispensatio mysteriorum commissa

Sacramen- est, confitenda esse peccata.

talis. Demonstraturus quoque hanc, Confes-  
sionem habere in Scripturis testimonium,

& exemplum, ambo illa loca ex Euangeliō

Actor. 19. Matthæi, & Actis Apostolorum suprà cita-

Idem ca. 8. ta affert.

eiud. libri. Ne verò putas, non confitenda parva

delicta, eodem libro monet; Nihil oportere

contemni tanquam paruum, quod de omni

Matth. 12. verbo otioso, quod locuti fuerint homines,

de eo rationem in die Iudicij reddituri sint.

Vide verò, quam pulchre tres illi insignes

Græciæ magistri, ac egregia luminaria; nem-

pe

pe Origenes, Nicephorus, & Basilius in hac re confessionaria concinant, & quod compobandum recepimus, luce clariis affirment.

Iam rursus aliud par duorum ( omnium sententia) celebratissimorum Ecclesiæ Latinæ Doctorum copulabimus; nempe Diuos Hieronymum, & Augustinum.

D. itaque Hieronymus, primam huius Hieron. in **Confessionis** meminit, cum Episcopum, vel **Comment.** Presbyterum, aliter ligare, vel soluere pro- sup Matth. hibeat peccatorem, nisi primum peccatorū cap. 16. audierit varietates & iam hinc sciat, quis li- Enarranda gandus sit, quiue soluendus. Qui locus aper- peccata in tè conuincit, & Diui Hieronymi tempore, **Confessio-** Confessionem Sacerdotibus cum enumera- ne singula- tione delictorum factam fuisse.

Deinde perspicuum testimonium eius Hieron. in habes in **Commentariis** super Ecclesiast. Si comment. quem, inquit, serpens Diabolus occulte mo- super Eccl. morderit, & nullo conscio, eum peccati ve- cap. 10. neno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit poenitentiam; nec vulnus suū fratri & magistro voluerit confiteri: magi- ster, ( id est, Sacerdos) qui habet linguam ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubescat ægrotus, suum vulnus confi- teri, quod ignorat medicina, non curat. Ut Vide cap. interim fileamus plerosque alios locos, ubi Mēsuram. in laude **Confessionis** multus est Hierony- de Pœnit. mus.

dist. 1.

Huic

## *Caput I. De Necessitate*

Huic sententiæ subscribit Augustinus:

**August.** in Lætentur, inquit, & exultent Gentes. Vn-

Psalm, 66. de? Per ipsam Confessionem. Quare? Quia  
bonus est, cui confitentur: Ad hoc exigit  
Confessionem, vt liberet humilem: Ad hoc  
damnat non confitentem, vt puniat super-  
bum. Ergo tristis esto antequam confitea-  
ris; confessus exulta, iam sanaberis. Non con-  
fitentis conscientia saniem collegerat, apo-  
stema tumuerat, cruciabat te, requiescere  
non sinebat. Adhibet medicus someta ver-  
borum, ac aliquando secat medicinale ferrum  
tribulationis. Tu agnosce medici manum,  
confitere, exeat in Confessione & defluat  
omnis sanies.

**Aug. in ca.** Idem alibi sic habet: Vox Saluatoris rum-  
**5. Ioan.** pit duritiem lapidis, & cor tuum ita durum est,  
vt nondum illa vox Diuina te rumpat? Sur-  
ge in corde tuo, procede de sepulchro tuo.  
Etenim mortuus in corde tuo, tanquam in  
sepulchro tuo iacehas; & tanquam saxo ma-  
lae consuetudinis grauabaris: Surge, & pro-  
cede, & crede, & confitere. Qui enim credit,  
surrexit: qui confitetur, processit. Quare

**Confiten-** processisse dicimus confitentem? Quia an-  
dū Ecclesiæ tequam confiteretur, occultus erat; cùm au-  
ministris, tem confitetur, procedit de tenebris ad luce-  
ut soluant & cùm confessus fuerit, quid dicetur mini-  
confitentē. stris? Quod dictum est ad funus Lazari: Sol-

**Ioan. 11.** uite illum, & finite abire. Quomodo dictū

**Matt. 16.** est ministris Apostolis: Quæ solueritis in  
terra, soluta erunt & in cœlis.

Libro

Libro de Salutaribus documentis iubet Aug. li. de iussioni Sacerdotis D E V M timentis obse- salutar. do- qui, qui, vt sapiēs & perfectus medicus, pri- cumen. mūm sciat curare peccata sua, & posteā aliena vulnera detergere & sanare, & non pub- licare. Hunc enim perquirendum, & cum eo consilium salutis nostræ ineundum esse suadet.

Præterea, libro de Visitatione infirmorū, Aug. de Vi- ex professio confutantur, qui sufficere arbi- fit. infirm. trantur; si soli D E O ( cui nihil est occultū) quem nullius latet conscientia, sua crima confiteantur, vel nolentes, vel erubescentes, vel dignantes ostendere se Sacerdotibus; quos tamen inter lepram & non lepram per legislatorem Dominus constituerit. Sed no- Typus po- lo, inquit, vt ipsa decipiaris opinione, vt cō- testatis Sa- fundaris confiteri corām Domini Vicario, cerdotalis tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ in- vet⁹ Sacer- dignatione. Nam ipsius humiliter subeun- dotium. dum est iudicium, quem Dominus sibi non dignatur Vicarium. Ergo, inquit, ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum con- sciētarum tuarum penitū participem; nō te seducat illa supersticio, quæ in visitando Non suffi- confirmat, quia saluet, sacerdote inconsul- cere mēta- to ad D E V M peccatorum Confessio. Non lem Con- enim ( vt subiicit ) abnegamus; quin sit ad fessionem. D E V M frequenter referenda peccatorum Confessio. Eges enim & Sacerdotis, qui me- diator fit ad D E V M tuū, salubri iudicio.

Item,

## *Caput I. De Necesitate*

*Ibid. ca. 5.*

Item: Astantem, inquit, coram te Sacerdotem Angelum D E I existima: aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora reuelare pagula.

*Ambr. de.*

*Poenit. li. 1.*

*ca. 16. Et li.*

*2. ca. 1. &*

*cap. 10.*

D. Ambrofius adeò non tollit secretam Confessionem, & rationem priuati querendi cōfiliij, & Absolutionis, vt ex professō docēat, quæ moderatio erga peccatores, ab his, qui illorū morbos curare debent, habenda sit. Nec facilè inuenies quenquā ex Patribus, qui potestatē Sacerdotalem magis illustret. Sed aiunt, inquit, (nimirūm Nouationi) se Domino deferre reverentiam, cui sōli remittendorū criminī potestatē reseruent; imo nulli maiorem iniuriam faciunt, quām qui eius volūt mandata rescindere, commissum munus confundere. Nā cūm ipse (vt subiicit) in Euangelio suo dixerit Dominus IESVS:

*Ioan. 20.*

Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Quis est, qui magis honorat, vtrum, qui mandatis obtemperat, quām qui resistit? Ecclesia in vtroq; obseruat obedientiam, vt peccatum & alliget,

Non magis & relaxet. Dominus enim par ius esse voluit, est manda- & ligandi, & soluendi, qui vtrunq; pari con- ta Sacer- ditiōe permisit. Quomodò igitur potest al- doti Ab o- terum licere, alterum non licere? Haec tenui- latio, quām ille. Quibus verbis refutantur, qui asserunt, ligatio. potestatē obtainendae Absolutionis, nō apud

Sacer-

Sacerdotem, sed apud confitentem esse; cùm  
vir iste sanctus vtranque, & ligandi, & sol-  
uēdi potestatem ex Euangelio Sacerdotibus  
**ex aequo** tribuat.

Quin D. Ambrosium **Confessiones** pœni- **Confessio-**  
tentia secretas priuatim audisse, vel locuple- **secreta, tē-**  
tissimus testis est Paulinus, qui vitâ eius con- **pore Am-**  
scripsit: **Quotiescumque**, inquit, illi aliquis brosij.  
ob percipiendam poenitentiam lapsus suos Paulinus in  
confessus esset, ita flebat, vt & illum flere cō- vita Am-  
pelleret. Videbatur etiam sibi cū iacente ia- brosij.  
cere; causas autem criminum, quas illi con-  
fitebantur, nulli nisi Domino soli (apud quē  
intercedebat) loquebatur, boni relinquens  
Sacerdotibus posteris exemplum, vt inter-  
cessores apud D E V M sint magis, quam ac-  
cusatores apud homines.

Post Ambrosij tempora habes magnum **LEO ad**  
illum Leonem Pontificem doctissimum & **Theod. E-**  
toto orbe celebratissimum, cuius Decretum **pis. Foro-**  
extat ad Theodorum Episcopum Foroiuli- **iul.**  
ensem in hæc verba: Multiplex misericordia  
D E I lapsibus subuenit humanis, vt non so-  
lum per Baptismi gratiam spes vitæ repara-  
tur æternæ, & qui regenerationis donum  
violâssent, proprio iudicio se condemnantes  
ad remissionem criminum peruenirent; sic  
Divinae bonitatis præsidiis ordinatis, vt in-  
dulgentia D E I, nisi supplicatione Sacerdo-  
tum nequeat obtineri.

Et post

## *Caput I. De Necessitate*

Et post pauca. Multum enim vtile, ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimū diem Sacerdotali supplicatione soluatur.

Quid Gregorium illum Magnum refaramus? qui, vt ad hanc Confessionem, veluti remedium haud acerbum, sed facile, omnes incitaret nō, tantūm reuelandorum criminum seueritatem sustulit; sed & Sacerdotem diris affecit, confessā peccata publicantem. Decretum sic habet. Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui ei confitentur

**Pœna in Sa** peccata sua alicui recitet, quod ea confessus cerdotē re-est, non propinquis, non extraneis, neque uelantē se- (quod absit) pro aliquo scandalo: nā si hoc cretū Con-fecerit, deponatur, & omnibus diebus vita fessionis. suæ ignominiosus peregrinando pergit.

Vide. de Theodorus Archiepiscopus Cantuarie. Penit. dist. sis. Quidam D E O (ait) confiteri debere 1. cap. vlti. peccata dicūt; quidā verò Sacerdotibus con-

fitenda esse percésent, vt tota ferè sancta Ecclesia: quorum vtrunque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita dunt taxat, vt D E O, qui remissor est peccatorū,

**Psalm. 31.** peccata nostra cōfitemamur, & hoc pfectori est, & cum Dauid dicamus: Delictum meū cognitum tibi feci, & iniustitiam meam nō abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meā Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, vt confitea-

mur

mur alterutrum peccata nostra, & oremus Iacob. 5.  
pro inuicem, ut saluemur.

Confessio itaque que soli D E O fit (quod est iustorum) purgat peccata; ea vero, quae Sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa purgentur peccata. D E V S namque salutis & sanctitatis Autor & largitor, plerunque præbet hanc suæ poenitentiae medicinam inuisibili administratione, plerunque medicorum operatione.

Item Beda discipulus eius: Et si in peccatis sit, dimittentur ei, multi propter peccata in anima facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Vnde Apostolus Corinthis, qui corpus Domini percipere indigni soliti erant, ait: Ideo inter vos multi infirmi sunt, & imbecilles, & dormiunt multi. Si ergo infirmi in peccatis sint, & haec Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim fine Confessione emendationis, peccata queunt dimitti.

Bernardus quoque ad milites Templi sic Ber. in ser. habet. Quamobrem ministros verbi Sacerdos ad milites dotes cautè necessum est, ad vtrunque vigiliare sollicitos, quò videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo Confessionis exterreant: Sic corda aperiant, ut ora non obstruant; sed nec

Beda super  
Epist. Iac.  
cap. 5.

1. Cor. 11.

## *Caput I. De Necesitate*

nec absolvant etiam compunctum, nisi vi-  
derint & confessum : Quandoquidem cor-  
de creditur ad iustitiam ; ore autem Confes-  
sio fit ad salutem ; aliò qui à mortuo tanquā,  
qui non est, perit Confessio. Quisquis igitur  
verbum in ore habet, & in corde non habet,  
aut dolosus est, aut vanus : quisq[ue] verò in cor-  
de, et nō in ore, aut superbus est, aut timidus.

Rom. 10.

Eccle. 4.

Hos omnes Viros, cùm doctrina, tūm vīte  
sanctimonia insignes, qui testimoniū ferunt  
de cōsensu totius Ecclesiae, omnium tempo-  
rum (quod ad Confessionem Sacramentalē  
attinet) subsecutum est illud magnum Con-  
ciliū generale, ex quo Canon, Omnis vtrius-  
que sexus &c. citatur, cui Innocētius tertius,  
vir & pius, & doctus præfuit, eidemq[ue] & tā  
Græca, quām Latina Ecclesia, maximo Prä-  
latorum totius orbis conuentum interfuit.  
Qui autem verisimile est, Christum passum  
esse, tantū Concilium, sua caussa coactum,  
errare : qui promisit, cùm etiam vel duo, vel  
tres congregati fuerint in nomine suo, se  
futurum in medio illorum ?

Matth. 18.

*Quæstio Fuitne Confessio etiam necessaria de  
XV. Iure naturali, aut scripto, ante  
Euangelium.*

*Respoſio.* N O N fuit : Tūm, quia Sacraenta gra-  
tiæ fides præcedere debet; vnde & Sa-  
craenta fidei dicuntur, & supra naturam  
sunt

sunt, sicut & ipsa fides: Tum quia nulla ratio naturalis, seclusa iuris positui dispositio-  
tione, dictat esse peccatori necessarium sua  
peccata occultissima proximo pandere, & fe-  
coram illo quodammodo infamare, maximè  
ad subsequendam remissionem peccatorū, qui  
finis est, & effectus ipsius Sacramentalis Cō-  
fessionis, cùm de huiusmodi fine, ratio natu-  
ralis nihil doceat, sed potius D E I reuelatio.  
Igitur siue consideremus Confessionē Sacra-  
mentalem; quatenus Sacramentum gratiæ  
est, seu pars Sacramenti iustificantis; siue cō-  
sideremus ipsam peccatorū Confessionem,  
qua peccata occulta proximo panditur, siue  
cōsideremus finem, qui est peccatorū venia,  
& amicitiæ cū Deo redintegratio: Patet non  
cadere sub dictamen rationis naturalis.

Adhæc: si Confessio esset iuris naturalis,  
apud omnes omnino gētes obstringeret atq;  
obligaret. Siquidem ius naturale apud om-  
nes idem est, quodq; singulis inseuit natura;  
huiusmodi autem constat Confessionē non  
esse: Quare iure naturali nemo Confessio-  
nis vinculo obstringeret.

S E C V N D O, idem patet, quia si sic es-  
set; non solum post legem Euangelicam, sed  
antea, fuissent homines obligati, sua peccata  
etiam occulta hominibus confiteri; cùm ta-  
men nec tempore legis naturæ, nec scriptæ,  
huiusmodi aliquid fuerit obseruatū: Qnam-  
uis enim in lege Moysis, qui ad populu D E I  
pertinet

## *Caput I. De Necessitate*

pertinebant; debuerint quædam sacrificia & oblationes facere, quæ hostiæ pro peccatis dicebâtur, ob aliqua peccata publica, aut aliquas irregularitates, secundum ritum eorū, contractas remouendas, ut habetur in Leuitico; nemo tamen cōtendit, aut affirmat eos fuisse obligatos, ut hanc Confessionē sacram, qualis nunc fit in Ecclesia, suis Sacerdotibus facerent.

Sequeretur insuper, nunc omnes peccatores esse obligatos ad confitendum peccata, quæ ante Baptismum commiserunt, sicut ea, quæ post fuerunt perpetrata. Imò & infideles tenerentur sua peccata Sacerdotibus confiteri: Nam ea, quæ sunt de iure naturæ, & de dictamine rationis naturalis, omnes indifferēter obligant. Cōsequens est falsum, nam aliōqui Baptismus non efficit prima post naufragiū tabula; sed Confessio Sacramentalis, si esset necessarium, peccata ante Baptismū, & tēpore infidelitatis cōmissa cōfiteri.

*Quæstio XVI. Estne Confessio omnibus hominibus necessaria?*

*Respoſio.* DE infidelibus nobis hīc non est sermo: Quid enim ad nos de his, qui foris sunt, iudicare? De fidelibus autē, antequām pronuntiemus, an obligatio confitendi ad omnes eos se extendat; scire oportet, posse fidèles esse in quadruplici genere.

Primi

Primi generis sunt, qui omni carent peccato mortali, & veniali. Alterius sunt, qui carent mortali; sed non veniali. Tertij generis sunt, qui carent mortali peccato operis exterioris, at non mortiferi interioris, siue prauæ cogitationis. Vltimi generis sunt, qui peccatis operis externi mortalibus sunt co-inquinati.

Sed an inter mortales reperiatur primum genus hominū, qui omni in hac vita careant peccato; saltem per longiusculum tempus in ætate adulta. ( Nam de paruulis baptizatis, non dubium, quin careant omni peccato. Similiter de adultis, non dubium, quin possint omni peccato carere per instans, vel saltem per breue tempus, ut si in adulta ætate baptizentur cum pœnitudine perfecta omnium suorum peccatorum, poterunt saltē ad breue tempus in innocentia permanere ) Sanè partem negatiuam de industria comprobare videtur D. Augustinus cōpluribus rationibus: Tùm, quia non est homo, cui non cōueniat orationem Dominicam quotidie dicere; in qua petimus: Diimitte nobis debita nostra: Tùm ex eo, quod ait Ioannes in sua Canonica: Si dixerimus; quod peccatū non habemus, nosmetipsos seducimus; & veritas in nobis non est. Tùm, quia non est homo, qui nō peccet, quiq; etiam si iustus sit, possit gloriari, se immunem esse à peccato: Septies Prou. 24.. enim in die cadit iustus, vt Scriptura ait. Si

C tamen.

## *Caput I. De Necessitate*

tamen aliquis reperiatur, qui speciali Dei gratia ab omni peccato sit immunis, is non erit astrictus confiteri, nec iure Diuino, nec humano; quandoquidem Confessio, de qua loquimur, non nisi de propriis peccatis fieri debet.

De his autem, qui mortali peccato carent, sed non veniali, dubium est, an teneantur confiteri. Et dixerunt quidem, nonnulli, quod licet non teneatur necessitate Sacramenti, eodemmodo peccata venialia non sint materia necessaria Sacramenti Poenitentiae, teneri tamen necessitate pracepti Ecclesiae, quae in Decreto; Omnis utriusque sexus &c. unicuique fidi iubet, ut semel in anno confiteatur, cui quidem pracepto necessariò obtemperandum est.

Veruntamen non desunt, qui contrarii sentiant, & afferant, per illam Decretalem non teneri homines peccata venialia confiteri, etiam si mortalibus coniuncta sint: Idque probant, postulantes sibi primò concedi, Ecclesiam in ea Decreto non induxisse nouam obligationem confitendi, sed tantum declarasse tempus, quo homines praceptum Diuinum, de confitendo, adimplerent, ut est communis Theologorum sententia. Per hanc igitur Decretalem, homines non tenentur confiteri, nisi ea, ad quae iure Diuino obstringuntur. Sed Diuinum ius non obligat quemquam, ut venialia confiteatur: Nam illud dictum

dictum Christi, vnde orta est obligatio cōfitendi (Quorum remiseritis peccata, remit-  
tuntur eis; & quorum retinueritis, retenta  
sunt) nequit intelligi verè de venialib⁹, pro-  
pterea, quod venialiū multis aliis modis re-  
missio possit obtineri. Quare hæc Decretalis  
nō obligat homines, huius secundi generis,  
qui nullo peccati mortalisi vinculo ligātur.

S E C V N D O, idem patet ratione Do-  
ctoris sancti, quia Ecclesia neminē potest ob-  
ligare ad impossibile; Sed impossibile est, ho-  
minē omnia peccata venialia confiteri, cūm  
propè sint innumera, quæ homo dinume-  
rare non potest: Igitur hæc Decretalis non  
se extendit ad Confessionem venialium, si-  
ue mortalibus sint adiuncta, siue non.

T E R T I O, quia Sacramentalis Confes-  
sio, non est necessaria, nisi ad liberandū ho-  
minē à naufragio (Est enim Pœnitētia secū-  
da tabula post naufragiū) Cūm ergo homi-  
nes per sola venialia, naufragiū pati non pos-  
sint, cūm p ea charitas neuti⁹ extinguitur,  
sequitur, non esse necessarium, ea confiteri.

P O S T R E M O, idem patet ex poena in  
hac Decretali comprehensa, contra Canonis  
huius præuaricatorem, scilicet, vt viuus ar-  
ceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mori⁹ careat  
Ecclesiastica sepultura. Quam poenam tam  
duram, non est credendum Ecclesiam infligi  
Voluisse, propter neglectam Confessionem  
venialium. Peius enim est venialia commit-  
tere,

## *Caput I. De Necessitate*

tere, quām commissa non confiteri; sed tali pœna non animaduertitur in eos, qui venialia committunt. Igitur multò minùs contra eos, qui venialia cōmissa non confitentur.

*Quæstio XVII. Quānam ætate præceptum Confessionis obligare cœpit?*

*Respōsio.* IS ex præcepto Ecclesiæ ad peccatorū Confessionem faciendam tenetur, qui ea ætate & animi vigore est, ut discretiōis iudicio bonum à malo, & iustitiā ab iniquitate cognoscat. Et rectè: *Quo modo enim aliōqui peccatum confitebitur, is, qui ætatem, & mentis imbecillitatem, vtrūm peccatum sit, aut nō sit, discernere minūmē potest? Vsq; ad legem, Rom. 5,* inquit Paulus, peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex nō esset. *Quare nō imputabatur? Quia, vbi non est lex, nec prævaricatio. Cùm igitur voluntarium sit peccatum, & contra legem, siue in cordibus, siue in tabulis conscriptam, perpetratur, vbi neq; voluntas est, quæ peccatum agnoscat, & velit, neq; lex, quæ illud prohibeat; peccatum vtiq; quod mortem perpetranti generet, esse non potest.*

Post usum itaq; rationis demūm tenetur homo confiteri peccatum mortale: Sed cùm Confessio sit Sacramentū, non debet per ludū, aut iocū tractari, aut administrari. Quare, si non adsint coniecturæ de usu rationis, non sunt pueri audiendi ea intentione, quasi sit.

fit ibi aliquod Sacramentum, sed instruendi  
sunt & docendi.

Cùm homo non statim post vsum ratio- *Quæstio*  
nis teneatur sumere Eucharistiā; quo- XVIII.  
modò statim post vsum rationis obli-  
gatur præcepto *Confessionis*?

**P**RIMO respondeo, quod aliquem habe- *Respsio*.  
re, vel non habere vsum rationis, nō potest  
certò sciri, nisi quibusdam coniecturis, quæ,  
si probabiles sint, ac vtcunque arguant ad-  
esse vsum rationis, tenetur puer confiteri; quia  
nullū est periculum in peccatorū Confessio-  
ne, etiā ante vsum rationis. Ad Eucharistiam  
autē tantisper nō admittuntur accedere, dñ  
liquidò constet, eos vſu rationis pollere, idq;  
ne vlla Sacramento fiat irreuerentia.

**S**ECUNDO dico, quod vſus rationis nō  
in omnes omnino res primò vim suā exerit:  
Potest enim quis cognoscere vnum, & non  
aliud: Nam prius peruenit puer ad tempus,  
quo potest iudicare de peccatis mortalibus;  
quām intelligere tanti Sacramēti mysteriū,  
in quo continetur Corpus Christi; quod ta-  
men credere & discernere debet is, qui sum-  
pturus est Eucharistiam.

*Teneturne homo, cùm peccauit, illud Quæstio  
peccatum statim, & sine omni XIX.  
mora confiteri?*

## *Caput I. De Necessitate*

**R**espōsio. **E**T si vehementer expedit, continuū, post peccatum mortale admissum, confiteri: vñanimis tamen est omniū Doctorum consensus, neutrum ita necessarium esse, vt, si differatur in tempus, ab Ecclesia præfixum, peccator noui criminis reatū incurrat. Nam affirmatiuē præcepta, licet semper, hoc est, sine fine obligent: at tamen non statim, neq; pro semper (vt loquuntur) hoc est, fine vlla intermissione ad sui obseruationem nos obstringunt, qualibet oblata opportunitate; sed tantū tempore, ab Ecclesia præfixo, vel quando necessitas postulat, si nullū præfixū sit tempus. Exemplum clarū est de suscipiendo Baptismo, de danda eelemosyna, de prædicanda fide, atq; de aliis compluribus, quæ absq; noui peccati reatu differri queunt.

Verām, quædāl valde consultum sit, atque adeò multis peccatoribus tantū non necessariū, admissa peccata primo quoq; tempore cōfiteri, pluribus rationibus suaderi potest.

**P R I M O:** Quotquot Cōfessionis mediam ad salutem necessariam prorogāt, æternæ dānationis periculo sese exponunt. Est autem periculum istud geminum: Vnum, quia morte nihil est incertius: Vnde in Ecclesiastico: Ne tardes conuerti ad D E VM, nec differas de die in diem: Subitō enim venit ira illius, & disperdet te in tempore vindictæ. Alterum, quia vnum peccatū, aliud inducit, si non illicò per pœnitentiā tollatur, iuxta illud Gregorij: Peccatū, quod per Pœnitentiā

*Ecclj. 5.*

nitentia non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit. Ne ergo per Confessionis procrastinatione, scientes & prudentes in horum periculorum alterum labamur: vehementer expedit, ut primo quoque tempore, primaq[ue] oblata opportunitate, saluti nostrae consulamus. Si enim salutis nostre securi in eiusmodi discrimine perseveremus: meritò in eo perire iudicabimur, iuxta illud: *Qui amat Eccle. 3.* periculum, peribit in illo.

SECUNDO, quamuis peccator non comittat nouum peccatum, non continuo expians illud per confessionem, cuius est reus: s[ecundu]m numerò tamē euenit, ut ipsi, tanq[ue] multa alia cōmisissent, imputetur: Fieri enim vix potest, quin aliquis per peccatum lethale, gratia spoliatus, in multa alia mortifera incidat, à quibus per Confessionis beneficium recuperata gratia, facile se preferuāset. QUĀ obrem utilissimū fuerit, absq[ue] mora, peccati maculā p[ro]enitentiæ Sacramento eluere: cū, ne procliuiores ad peccandum reddamur; tūm etiam, ne peccatum dudum cōmisum, quod aliorum quodammodo existit caussa, propter nostram in eo perseverantiā grauius à DEO aestimetur, acerbiusq[ue] puniatur.

TER TIO, si necessarium est, ut, quoad eius fieri potest, omne omnino vitemus peccatum, tamē lethale, quam venia dignum: an quisquam negauerit, peccatorem se dignum facere, si ad primam quamq[ue] occasionem se

C 4 crimi-

## *Caput I. De Necessitate*

criminū, quibus colligatur, pedicis extricet? Certè, vt fur optimè saluti suæ consulit, si re alienam apud se detentam, primo quoq; tempore vero Domino restituit, qua sine restitu-  
tione, nulla spes est remissionis peccati; ita consultissimū est, dicam audacitū, imò pro-  
pè necessariū est, vt reus per Exhomologe-  
fin peccatorum Sacerdoti factam, se ab eis  
liberari satagat; quandoquidem non est alia  
salutis tabula post naufragium, quam Absolu-  
tionis Sacramentum. Quod si quis in pec-  
cato perseverare proponat; is non solum  
nō peccati reatum incurrit hoc nomine; sed  
tum D E V M, tum seipsum videtur odisse.  
DEVM quidem, dum ipsi præfert creatu-  
ram; seipsum verò, dum sponte diabolicum  
seruitutis iugum nō excutit, cùm potest; reus  
æternæ damnationis permanens.

**Q**UAR TO, neq; exiguus ille est fructus  
**F**ructus ac- acceleratē Confessionis, quod peccatum re-  
celerate Cō cens, & quasi adhuc flagrās, dum se peccator  
fessionis, ad id confitendū comparat, maiorem de eo  
contritionem, quam si diu præteriisset, exci-  
tat; anima quoque propter præsens vulnus,  
dum eius, vel ante, vel in media Confessione  
liberat atq; expendit grauitatē, multò redi-  
ditur aptior ad consequendū contritionem,  
illudq; detestandum, quam vñq postea erit.  
Videmus enim plerisque vsu venire, vt quod  
diutiū in cœno peccati voluantur: eò sint tū  
ad verum peccatorū odium imbibendum,  
con-

contritionemq; veram consequendam imbecilliores, tūm etiam ad Confessionem peragendam tardiores. Quæ res eiusmodi procastinatōribus non simplex creat periculū. Primiū, dum neq; de patrato dolere scele-re, neq; ipsis statutū est adhuc cōfiteri; periculum est, dum eius subit recordatio, vt ipsi fibi hoc in peccato placeant, quæ res eos nouo obstringit peccato. Alterum periculū est, ne, quod præcessit peccatum, multorū aliorum existat caussa. Ac demū metuendum est, ne peccata peccatis cumulando, in multorum veniamus obliuionem, quibus incōmodis omnibus occurrimus, si recēti vulneri præsentem adhibeamus medelam, ac peccatū quomodocunq; cōmissum fine intermis-sione Sacramento Poenitentiæ diluamus.

QVINTO, in Deuteronomio, & alibi, Deut. 22.  
extat præceptum charitatis, vt, si viderimus asinum proximi sub onere iacentē, non per-transēamus, sed eū subleuemus. Igitur, cùm peccator subiaceat oneribus peccati; maiori multò ratione tenetur ex charitate, ad seip-sum habenda, se illicō subleuare. Remedium autem à D E O institutum, quo possit homo à peccato resurgere, est Confessio Sacra-mentalnis. Igitur ad eam continuò post pec-catum est confugiendum.

Teneturne homo de iure Diuino in Quæstio  
articulo mortis confiteri? XX.

C 5

Tene-

*Caput I. De Necessitate*

*Responso.*

TEnetur: Nam peccator ad scelerum suorum Confessionem obligatur, & nō potest post mortē: Ergo, qui est in illo articulo, si non vult confiteri, exponit se periculo æternæ damnationis.

Sed quis, unde elicitur ius illud? Nam in Euangelio non dicitur, nisi: Quorum remiseritis peccata &c. Respondeatur, hoc insigni efficacia colligi, ex natura ipsius præcepti, quæ profectò ex eius fine est perpendēda: Sic enim quis efficaciter ratiocinetur: Sacramētum Pœnitentiæ ad hoc est institutū, ut per illud remittantur peccata, post Baptismum commissa; Necessitas autem huiusmodi remissionis quam maximè occurrit in exitu vitæ, quo utiq; momento, se ita comparare debebat infirmus, ut ab omni peccato purus, ac tutus à perpetuo supplicio in æternā felicitatem transmigrare posset: Ergo, tūm maximè articulus necessitatis Confessionis occurrit, si copia adsit Confessarij. Quæ ratiocinatio adeò est firma, vt, si non suppeteret alia, quisq; mortalium, qui modò aliquā suæ salutis gerat curam, in hac merito deberet conquiescere.

*Iacob. 5.*

Nihilominus id ex illo testimonio Iacobi maximè confirmatur: etiam suffragante D. Thoma. Immediatè namq; & consultò Sacramentum Pœnitentiæ cum Extrema Vnctione coniunxit, dicens: Ut infirmus confiteatur, & vngatur Oleo sancto, quasi tūm maximè

maximè Diuino iure sit necessaria Confessio ad abstergendas peccatorū maculas; & Vnctio ad eradendas earum reliquias.

*Teneturne homo iure Diuino, articulo Quæstio  
mortis seu necessitatis secluso,*      XXI.  
*crebrius confiteri in  
vita?*

**S**Eccluso iure positivo, & mortis periculo, *Respoſio.*  
tenemur iure Diuino toties cōfiteri, quoties periculū est humano iudicio, ne in obliuionem peccatorum veniamus.

Id quod probari potest ex huius præcepti fine, hoc modo. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem omniū peccatorum obtainendam per Confessionem & Absolutionem; sed Confessio sine eorundē peccatorum memoria integrè ( ut oportet ) fieri nequit: Ergo cùm probabile periculum obliuionis occurrit, necessariò confitendum erit.

Ad hæc, tenemur iure Diuino D E V M diligere, & ipsius obſeruare mādata; sed horum neutrū absq; gratia præſtare valeamus: Gratiam autē, peccato amissam, post Baptismū citra Confessionē, re, vel voto, ſuceptā, recuperare imposſibile eſt: Ergo ut gratia Diuina adiuti D E V M diligere queamus, & ipsius mandata obſeruare; necessariū eſt confiteri, etiam extra mortis periculum.

## *Caput I. De Necessitate*

Necessaria quoq; est Confessio, si quis naturæ vitio in vnum aliquod peccatū, vel etiā plura, ita propēdeat; vt ea facilè nequeat evitare: səpiùs ad Confessionē, tanquam præsentissimū istius mali antidotum recurrendum est. Postremò, cùm extimulat conscientia, & eð. nos inuitat, & tantūm non trahit: Confessio omnino prætermittenda non est.

*Quæstio XXII.* *Quando tenetur homo iure humano confiteri?*

*Respōsio.* Semel in anno, vt definitū est in illo Canone. Omnis vtriusque sexus &c. Præterea idem definitur in Concilio Tridentino, cuius verba sunt: Si quis dixerit ad Confessionem omnium peccatorum, qualē Ecclesia seruat, nō teneri omnes & singulos Christifideles, iuxta magni Cōcilij Lateranensis constitutionē, semel in anno, anathema sit.

Sed quæro ergo, quando? Nā in illo Cap. Omnis vtriusque sexus &c. non determinatur tempus, ac proinde vigore illius præcepti non magis obligamur confiteri in Quadragesima, quam extra: Sanè ita est; Quamobrem, si quis extra Quadragesimam semel fuerit confessus, si posteà aliquo laborauerit impedimento, quò minùs communionis particeps fieri queat in Paschate, nō tenetur confiteri in Quadragesima; modò post nouissimam Confessionem non preterierit annus. Et

Et si recordetur, se in Confessione præcedenti oblitum fuiste aliquod peccati mortale: non tenetur illo eodem anno iterum confiteri, sed differre potest in proximam Quadragesimam.

*Nunquid qui legitima caussa impedi-  
tus non communicavit in Paschate,  
tenetur poste à ad Commu-  
nicationem?*

*Quæstio*

XXIII.

**T**RANSIIT quidem tempus Communioni *Respoſio.*  
ab Ecclesia præfixum, & determinatum;  
nihilominis tamen consulitur talibus, vt  
comunicent primo quoq; tempore, etiamſi  
vi præcepti Ecclesiæ, quod pro illo anno ex-  
pirauit, planè non teneantur.

*Teneturne homo de iure Diuino, an-  
te percepitonem Eucharistiæ  
confiteri?*

*Quæstio*

XXIII.

**T**ENETUR, si habeat copiam Confessoris, *Respoſio.*  
quemadmodum Concilium Tridenti-  
num his verbis definiuit: Ne tantum Sacra-  
mentum indignè, atque ideò in mortem, &  
condemnationem, sumatur; statuit, atque  
declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos con-  
scientia peccati mortalis grauat, quantum-  
cunq; etiam se contritos existiment, habita  
*Conc. Tri-  
dent. Sess.  
13.can.11.*

C 7

copia

## *Caput I. De Necessitate*

copia Confessoris, necessariò præmittendā  
esse Confessionem Sacramentalem.

Si autem aliquis Sacerdos fortassè non ha-  
beat copiam Confessarij, & debeat celebrare  
diebus festis, sufficerit ei contritio cum pro-  
posito, suo tempore confitendi; maximè si,  
non celebrando, incurrat aliquam notam  
infamiae.

*Quæstio* *Teneturne homo tamen ante receptionem*  
*XXV.* *aliorum Sacramentorum, quam*  
*Eucharistiæ, confiteri?*

*Respōsio.* *E*xpedit quidem, sed absolutè necessarium  
non est. Vnde de Consecratione, distin. 4.  
*Ca.* *Vt iejunij.* dicitur, quod qui confirman-  
di sunt, si sunt perfectæ ætatis, admoneantur,  
vt prius confiteantur. *Vbi* admonitio  
potius videtur esse consilium, quam præce-  
ptum. Etsi non est necessarium, ante hoc Sa-  
cramentum confiteri, in quo recipitur co-  
pia gratiæ; multò minùs erit in aliis. *Quod*  
*Conc. Tri-*  
*dent. sess.*  
*24. cap. 1.* *clarius patet ex verbis Concilij Tridentini,*  
*vbi* sic dicitur. *Postremò sancta Synodus cō-*  
*iuges hortatur, vt antequam contrahant, vel*  
*saltem triduo ante Matrimonij consumma-*  
*tionem, sua peccata diligenter confiteantur,*  
*& ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentū*  
*piè accedant. Hec Concilium Tridentinum.*

*Verum quidem est, quod quia omnia Sa-*  
*cramenta conferunt gratiam, videtur aliqua*  
*esse.*

esse negligentia, illis initiari sine Confessio-  
ne: At non requiri Confessionem, patet  
etiam, quia Ecclesia hoc non determinauit,  
nec in iure Diuino habetur, ergo non est ne-  
cessaria.

*Vnde constat, quod Confessio magis re-  
quiratur ante Eucharistiam, quam  
alia Sacra menta?*

*Quæstio*

XXVI.

**L**iquet id ex Paulo, dicente: Probet autem seipsum homo &c. & ex vsu Ecclesiae, quæ semper obseruauit, ut peccati mortalis reus ante sumptionem Eucharistiae præmit. tatem Confessionem Sacramentalem; aliòqui noui peccati reatum incurrit. Item ex dictis Sanctorum, & ex Ca. Omnis vtriusq; sexus &c. Vbi præcipitur ante Pascha Confessio, propter Eucharistiam in eo sumendam.

*Respoſio:*

1. Cor. 11.

*Potestne Papa vel Concilium in  
præcepto Confessionis di-  
spensare?*

*Quæstio*

XXVII.

**N**Equaquam. Idque probatur. PRIMO, ratione communi, quia præceptum Confessionis est Diuinum: Inferior autem super legibus superioris dispensare nequit.

SECVNDO peculiariis etiam proba-  
tur; quia Confessio non est vtcunq; de iure  
Diuino, sed pertinens ad Sacramentum: Sa-  
cramen-

*Respoſio:*

## *Caput I. De Necesſ. Confessionis.*

cramenta autem, veluti sacra Scriptura, sunt Ecclesiæ fundamentum. Ministri autem Ecclesiæ non sunt instituti ad fundandam Ecclesiam, unus enim fuit fundator eius, Christus per potestatem excellentiæ; qua Ecclesia semel per Christum fundata & instituta, post constituti sunt eius ministri, qui fundatam, ritè, & rectè gubernarent; veluti ad operationes rerum naturalium; necessarii est, ut præcesserit supnaturalis creatio. Quare ministri Ecclesiæ non possunt eius fundamenta mutare, sed dispensare: Vnde Paulus, Sic nos existimet homo ut DEI ministros & dispensatores mysteriorum DEI. Vbi dispensare non sumitur pro eo, quod est quenquā à lege Diuina excipere, sed pro eo, quod est, administrare. Ait quippe: Fundamentum aliud nemo potest ponere, quam positum est, Christus Iesus. Ecclesia autem fundata est in Scriptura sacra & Sacramentis: Ergo sicut eius ministri non possunt novos edere articulos, qui in sacra Scriptura non lateant; ita neque noua Sacra menta instituere, aut mutare. Ac proinde sicut facere nequit, ut quis in originali existens, saluus sine Baptismo fiat: Ita neque, ut ille, qui in mortale relabitur, sine Confessione, re vel voto, iustificeatur &c.

1. Cor. 4.

1. Cor. 3.

CAPVT